

De Enunciationibus Compositis. 345

scil. disiunctivam & copulativam, quæ tamen divisio non videtur exhaurire latitudinem compositæ enunciationis, cum præter has tres species addi possit etiam causalis: licet enim hæc à nonnullis referatur ad conditionalom, id tamen minus rectè fieri, infr. ostendetur.

10. Enunciatio conditionalis est, in qua per particulam SI plures enunciationes connectuntur, ut: *Si sol lucet, dies est.*

11. Dicitur in defin. quod plures enunciationes connectantur per partic. SI, ut enunciatio conditionalis distingvatur à simplici de extremo saltem e. g. prædicato conditionato, qualis est e. g. hæc: *O peccator recipitur à Deo in gratiam, si agit pœnitentiam.*

12. Ut igitur discrimen inter conditionalem enunciationem, & simplicem, quæ est de extremò conditionatò rectius intelligatur, sciendum, particulam SI interdum connectere integras enunciationes, interdum verò tantum voces alterum extremum v. g. prædicatum constituentes: Si priori modò spectatur particula conditionalis SI, constituit enunciationem conditionalem, & hoc ipsum est, quod dicitur in definitione, per partic. SI
plu-